

# LECTORI BENEVOLO.



ILLUD quod iam ab annis aliquot benigne Lector profunda eruditionis & elegantis ingenij commendatione non improbatorum in publicum opera profereendi virorum suscepimus institutum, adeo tenaci insequendum nixu putamus, vt ab hoc nequaquam nobis declinandum confirmatis animis sit decretum, ad id non tam priuati causa commodi, quam publicæ utilitatis studio (quod nobis unice semper in votis fuit) perducti. Ideoque cum non multis ab hinc mensibus Legali scientia foroque exercitatos litigioso aliquot maximè celebres prelo nostro subiectos Typographico publicos fecerimus authores, non neglectis etiam illis quos Sacrarum excellens comendat cognitio litterarum, usque potissimum qui recenti hac memoria Thomisticis in Quæstionibus nodosis admodum inuolucris vt plurimum scientibus summa cum laude versati nomen suum in omnem futura posteritatis memoriam transmiserunt, quibus humanioris literaturæ cultores vt eloquio ita & temporum teste Historia clari scriptores industria non pauci nostra accessere: quibus sanè vt in præcipuè vsitatis hoc seculo facultatibus euulgatis nunc à nobis Scriptorum voluminibus, vt quaternarium omnibus Musarum affectis & sectatoribus absolutum tandem numerum redderemus, tanquam auctarium quoddam has Argenterij Castellonouensis Subalpini perspicacis profecto ingenij & elegantis industria vt philosophi ita & archiatri de re medica libros accedere passi sumus, nec id immerito quidem, tales namque esse cognouimus, qui non solum genuinam iatricen scrutantibus, vsuque eandem exercere practico cupientibus, sed cunctis etiam recondita philosophorum documenta penitus rimari anhelantibus viris, non minus iucundos quam vtilis futuros iudicemus. His opera laboreque nostro in publicum prolatis, tu frue & vale, nobisque rem tuam augere literariam auidis benè vbi faueris etiam precare.

